

AD LECTOREM.

TAndem aliquando recussum vides, Lector amice, opus adeo exoptatum, tamdiu desideratum, in quo Priuilegia Regularibus à Summis Pontificibus concessa dilucidissimis Commentarijs explicantur, exornantur. Opus experieris à prima impressione ab ipso Auctore, adhuc inter nos agentem locupletatum: multo sane vberius locupletandum, nisi eum nobis mors præpropere rapuisset: Nec enim quæ tibi ad calcem offero, Pontificia Decreta Commentariorum luce orbata prodirent ad lucem. Scilicet ingenuo, ac liberali animo Auctor erat, qui Seneca illud valde probaret, *In hoc gaudeo aliquid scire vt doceam: si cum hac exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enuntiem, reijciam: cumque ei alta mente repositum maneret Ecclesiastici illud, Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus; quæ utilitas in vtriusque?* Apostolos satagebat imitari, qui S. Freneo docente, *Simpliciter, & nemini inuidentes ea, quæ didicerant ipsi à Domino, hæc omnibus tradebant.* Tarditatis verò meæ causam ante nouissimè additis Pontificijs Constitutiones tibi aperio: Commentaria autem in nostram Minimorum Regulam ab ipsomet Auctore composita, quæ in primo tomo promiseram, cum sint iam ad lucem aspiciendam parata, diu, vt spero, non desiderabis. Vale.

A V C T O R AD MINIMOS.

EN, Reverendi Patres, Priuilegia, nostro Ordini concessa à Pyrrho vsq; ad Vrbanum VIII. Quid fecerim licet euidenter constet intuenti; breuiter tamen accipite. Addidi in primis multa prætermissa à Passarello ex Iulio II. Leone X. Clem. VII. Paulo III. Greg. XIII. Sixto V. omnia summa fide decerpta ex authenticis Archiuij nostri Romani apud P. Zelosum. Ea, quæ erant hinc inde dispersa, per Regulam præsertim, huc congeffi. Adieci etiam Constitutiones eorum Pontificum, qui à Gregorio XIV. vbi Passarellus reliquit, hucusque nobis, vel Mendicantibus in communi aliqua, vel concesserunt de nouo, vel antiqua confirmauerunt; eo semper ordine seruato, vt prius quæ nostro Ordini, deinde quæ alijs, vel in particulari, vel in communi concessa sunt, collocentur. Adiunxi quamplurimas celebriores sacrarum Congregationum Concilij, & Regularium declarationes. Notis quoque ditaui, quibus innotescit, quæ priuilegia nunc valeant, quæ non, quæ reuocata, quæ limitata, quæ ampliata, quæ declarata, quæ contra Trid. quæ illi conformia, quæ præter illud. In quibus notis ferè omnia Regularium priuilegia, omnemque priuilegiorum materiam inclusi. Innumerabilibus denique grauissimiq; mendis, sensum, vel obsecrantibus, vel penitus tollentibus, vel retorquentibus expurgau. In quo opere (quod certè laboriosum fuit) me maximè iuuit F. Franciscus Maria de Agrisolijs. Hæc feci. Quæ faxit Deus, vt vobis, reliquisque Regularibus profint, & prodeant, si æquo animo, bonaque voluntate legantur. Sed quoniam scio, multos prius contemnere libros, quàm legerint, immo quàm viderint; ideo per charitatem rogo

Ne mea dona tibi studio disposita fidei,

Intellecta prius quàm sint, contempta relinquant.

Ne de ijs verificetur dictum Hieronym. in proam. lib. 9. *Esaia*, ignorantes, quid audiant, & quid loquantur, de eo audent iudicare, quod nesciunt, & ante desipiunt, quàm probent, eruditores se existimant, & disertos, & in eo se scire aliquid arbitrantur, si de cunctis scriptoribus detrahant. Proba igitur Lector, & iudica; ego enim me libenter illorum correctioni submittam, qui in huiusmodi periti, prudenter, & charitatiuè iudicauerint. Vale.